

Haec potestas ligandi et solvendi in tota sua amplitudine sumpta est potestas ferendi leges tum praecipientes tum vetantes, potestas iudicandi, potestas decernendi poenas, easque infligendi: tum potestas abolendi leges, in iis dispensandi, potestas condonandi delicta et poenas. Patet; quia his omnibus vel aliquid vinculum morale imponitur, vel relaxatur. Haec vero amplissima potestas est potestas regia, sive supremæ iurisdictionis, complectens omnia iura necessaria regendae administrandaeque reipublicae.

Iam vero per verba Christi *quodcumque ligaveris etc.* dicimus significari potestatem hanc amplissimam in Ecclesia. Quod probare licet tum usu loquendi sive profano, sive eorum qui eadem ac Christus lingua utebantur, tum collatione facta cum similibus Scripturae phrasibus, tum ratione habita universalis obiecti *quaecumque*, tum interpretatione ecclesiastica. Sane *a)* ad usum profanum quod spectat huius phrasos *ligare et solvere*, refert Diodorus Siculus inscriptionem tumulo Isis impositam, quam sic interpretatur. « Ego sum Isis regina huius regionis a Mercurio erudita, *ὅσα γὰρ ἐγὼ δεῖω οὐδεὶς δύναται λύσαι* nam *quaecumque ego ligaverō nemo potest solvere*; quibus verbis exhibetur ratio cur sit regina. Significatur ergo ea formula potestas regia. Porro idem est quod Christus dicit Petro: cum enim ait *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, simul dicit quaecumque ligaverit Petrus super terram, nemo super terram solvere poterit; quis enim solvere potest quod ligat Deus?* Quod si tantum valet haec formula, tantumdem quoque valebit altera ei respondens: *quodcumque solveris etc.*

Inter eos autem, qui proximi fuerunt Christi aetati est Flavius Iosephus. Hic vero (De Bello Iudaico L. I, c. 5) refert haec de regina Alexandra « Alexandrae se in potestatis societatem adiungunt Pharisei... Illi autem in foeminae simplicis consuetudinem paulatim se insinuantes *ἡδὲ καὶ διοικηταὶ τῶν ὅλων ἐγένοντο, διοικεῖν τε καὶ καταγεῖν οὐς ἐθέλοισιν, λυεῖν τε καὶ δεῖν* statim res omnes gubernant, ita ut quosvis pro voluntate in exilium pellant, ab eoque revocent, *solvant, ligentque*. Itaque iuxta Iosephum *λυεῖν καὶ δεῖν* eorum est qui consortes sunt regiae potestatis, quique negotia omnia regni pro potestate administrant.

*b)* Similis phrasos phrasos Matthaei occurrens in Scripturis ea est, quam superius retulimus, qua potestas clavium explicatur: *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*. In idem redire has duas formulas patet ex eo quod tum haec tum illa Matthaei exercitium cuiusdam potestatis significant, subiiciaturque utraque veluti explicatio potestati clavium. Formula Matthaei ita quoque efferi potest: *si solvet Petrus, nemo (praeter Deum) ligabit; si ligabit, nemo (praeter*

ter Deum) *solvet; vel: qui (Petrus) ligat et nemo solvit, qui solvit et nemo ligat*. Atqui formula illa in Apocalypsi de Christo dicta c. III, 7. significat universalem et independentem eius potestatem in domo David sive Ecclesia; ergo et formula Matthaei significat universalem et independentem Petri potestatem in Ecclesia, cum hoc tantum discrimine, quod, cum haec sit potestas participata a Christo, sit potestas ab eo dependens, eiusque vicaria. Dixi cum hoc *tantum* discrimine, quia nulla alia limitationis ratio praeter dependentiam a dante reperitur in verbis Matthaei.

*c)* Porro si spectetur repetitus bis terminus *quodcumque* (quodcumque ligaveris, quodcumque solveris) idem pariter demonstratur. *Ligare* enim et *solvere* significant morale aliquid vinculum imponere et relaxare; porro terminus *quodcumque* universalis est, nihilque excipit. Limitatio quidem aliqua subintelligenda est, nempe quoad ea quae ad Regnum hoc Regnique finem spectant; agitur enim de potestate in hoc regno. Excipienda sunt ergo ea quae ad hoc regnum eiusque finem non spectant: sed quoad ea quae ad Regnum hoc pertinere possunt, excipitur nihil. Potest ergo Petrus quamlibet obligationem imponere (iuxta indolem regni) potest et remittere; et quam ipse imponit nemo remittere potest; hic enim est sensus, ut diximus, verborum Christi: *quaecumque solvit Petrus nemo ligat in terris; quaecumque ligat Petrus, nemo solvit in terris*. Est ergo potestas Petri universalis et independens.

*d)* Interpretatio ecclesiastica rem extra omnem dubitationem ponit. Sane sive Patres probare velint generatim competere Romano Pontifici supremam auctoritatem, cui omnis creatura subiecta esse debeat, sive speciatim probare velint quodcumque ius necessarium ad Ecclesiae regimen esse penes Romanum Pontificem, cuiusmodi est potestas leges ferendi, praescribendi normam fidei, iudicandi causas quaslibet, excommunicandi etc. ad hoc provocant testimonium eoque quaestionem dirimunt. Quaedam testimonia afferamus. In controversia Monotheletica Maximus (epistola ad Petrum Illustrem inter Collectanea Anastasii bibliothecarii penes Sirmondi Op. Tom. III, pag. 340) haec ait de partibus quas Pyrrus de haeresi postulatus explere debeat: « festinet prae omnibus Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt » rationemque subiicit « quod Apostolica Sedes ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus Sanctis Synodis, secundum sacros canones, *universarum, quae in toto terrarum orbe sunt, ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium auctoritatem et potestatem ligandi atque solvendi.* » Gregorius VII. (Lib. VIII. Epistoll. epist. ad Herimannum Episc.) « quis

ignorat vocem Domini N. I. C. dicentis in Evangelio: Tu es Petrus etc? numquid sunt hic reges excepti? an non sunt de ovibus quas Filius Dei h. Petro commisit? quis ergo in hac universali concessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat?... Hanc divinae voluntatis institutionem SS. Patres cum magna veneratione suscipientes voluerunt... omnes maiores res et praecipua negotia nec non omnium ecclesiarum iudicia ad eam (Romanam Sedem) quasi matrem et caput debere referri, ab ea nunquam appellari, iudicia eius a nemine retractari aut refelli debere vel posse. » Bonifacius VIII hanc in Bulla *Unam Sanctam* definitionem tulit, de cuius infallibilitate nemo amplius dubitare potest. « Est autem haec auctoritas (Rom. Pont.) etsi data sit homini, non humana sed divina potestas ore divino Petro data... dicente Domino ipsi Petro: *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis.* Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit... Porro *subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus dicimus definimus omnino esse de necessitate salutis.* » Itaque ex quovis interpretationis legitimae fonte constat sensus ille, quem diximus subesse verbis Christi, *quodcumque ligaveris* etc.

X. Verum Protestantes contendunt *ligare et solvere* non aliud significare quam illud quidem *prohibere*, seu *prohibitum illicitum declarare*, hoc autem *permittere*, seu *licitum permissum declarare*; provocantque ad scriptores Thalmudicos, penes quos verba אסר ligare, שרא et התיר solvere אסור ligatum, מותר solutum adhibentur frequentissime (Cf. Buxtorfium Lex. chald. ad hh. vv. et Lightfootum ad hanc locum) in significatione *prohibendi*, et *permittendi*, *prohibiti* et *permissi*; nam cum volunt dicere suos doctores *permittere* aut *prohibere* aliquid, docere licitum esse vel illicitum, dicunt ipsos hoc *solvere* vel *ligare*, sive hoc ab iis *solutum* esse vel *ligatum*. Atque penes Danielem quoque c. VI, plerumque occurrit אסר vel אסרא pro *interdicto*. Quare quemadmodum Rabbini in Thalmude solvunt et ligant prout docent licitum quiddam esse aut illicitum, ita a Christo facta est potestas Petro docendi et declarandi, prout doctores solent, quid licitum et honestum sit, quid illicitum et inhonestum, quod prorsus aliud est a potestate eaque suprema et universali ferendi leges et rempublicam gubernandi.

Duplex responsio adhiberi potest. 1) Accepta Protestantium interpretatione consequens est factam esse Petro potestatem infallibiliter verum et rectum docendi: ratum enim habetur in caelis quod Petrus ligat aut solvit in terris: axioma ergo infallibilitatis his verbis

assertum esset Petro: quia vero ex universa Traditione, et ex ipsa rei natura, ut demonstrabimus, constat voluisse Christum perpetuum esse in Ecclesia quod his verbis enunciavit; ergo magisterium infallibile Petri, vel saltem successorum omnium Apostolorum (si haec verba, ut Protestantes volunt, ad omnes Apostolos dicta sunt) exstat in Ecclesia, cui parendum est; quod tamen iidem Protestantes negant. Quare haec ipsa licet diminuta et manca interpretatio Protestantibus refellit.

At 2) negamus sensum hunc limitatum subesse verbis Christi, idque evinci ex usu Rabbiorum. Nam ex Diodoro siculo *directe* constat verba graeca, quae Matthaei interpretis adhibuit, λυειν και δεειν ampliorem habere significationem; item ex Iosepho *directe* rursus constat eadem verba, iisque respondentia hebraica vel chaldaica, quae ipse graece expressit, ampliorem habere significationem; idemque praeterea constat ex ecclesiastica interpretatione Patrum, quibus nunquam venit in mentem ea manca et limitata interpretatio. Perperam vero ad usum Thalmudis provocatur; nam eo non efficitur quod efficiendum esset. Probandum enim esset hunc sensum *limitatum* esse *exclusive* sensum solum qui his verbis subest. At id non efficitur; sed positive tantum probatur quod *ligare* et *solvere* valeant *prohibere* et *permittere*, sive *declarare prohibitum aliquid esse aut permissum*. Verum cum doctores, quorum auctoritas affertur in Thalmude, non sint nisi simplices doctores, verba *ligare* et *solvere* ratione subiecti nequeunt nisi eam diminutam induere significationem declarandi quid licitum sit, quid illicitum; at si de alio subiecto praedicentur, eo praesertim cui claves regni datae sunt, nihil impedit quominus ampliorem induant significationem, praecipendi nempe cum potestate, imponendi obligationem, leges ferendi, et huiusmodi. Et sane idem verbum אסר *interdictum* apud Danielem l. c. quandoquidem de Rege dicitur, sonat legem proprie dictam, decretum Regis (Cf. sis Ioannem Morinum De Administ. Sacr. Poenit. L.I.c.8).

Errant quoque Protestantes cum contendunt his verbis Matthaei nihil aliud dici quam quod dicitur Ioan. XX, 23. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Nam abest 1), ut per se patet, parallelismus verbalis; abest quoque 2) parallelismus realis; nam a) apud Ioannem sermo dirigitur ad omnes, potestas proinde exhibetur communis omnibus; apud Matthaeum Christus loquitur uni, ideoque potestas exhibetur uni competens: b) obiectum potestatis penes Ioannem sunt *peccata*; penes Matthaeum vero sunt *omnes res, quodcumque*; hoc vero amplius patet quam illud: item c) *solvere* et *ligare*, ut ex demonstratis liquet, quemcumque actum auctoritatis supremae comprehendunt: quod

rursus amplius patet quam simplex *remittere et retinere peccata*. Itaque concedendum est eatenus sibi respondere haec testimonia, quatenus verba Matthaei continent id quod dicitur verbis Ioannis (licet nondum quoad nos clare et distincte); non autem quatenus id *tantum* contineant, est enim excessus in verbis Matthaei. Unde cum Patres potestatem clavium et potestatem ligandi atque solvendi de potestate remittendi et retinendi peccata accipiunt, eorum interpretatio non est exclusiva, cum iidem Patres eadem Matthaei verba de potestate quoque interpretentur ferendi leges pro universa Ecclesia, exigendi ab omnibus obedientiam, causas omnes inappellabiliter iudicandi, excommunicandi, etc.

XI. Quaeritur utrum et quodnam discrimen intercedat inter id quod exprimitur verbis: *tibi dabo claves regni caelorum*, et id quod sequentibus: *et quodcumque ligaveris* etc. Dicendum est eo modo haec se invicem habere sicut se habent illa Apocalypsis III, 7. *Qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*: scilicet alterum esse prioris explicationem. Nempe prioribus verbis exhiberi potestatem veluti in actu primo, habitualement; aliis potestatis eiusdem exercitium, sive eandem potestatem in actu secundo. Quia vero ex his duobus alterum in altero continetur, hinc et ex prioribus verbis id quod in sequentibus dicitur, et ex posterioribus quod in praecedentibus effertur colligi potest, dummodo semper subiecti, cui haec dicuntur, ratio habeatur; de quo in quaestione sequenti, in qua de subiecto potestatis huius agemus.

XII. Quaeritur tandem quomodo haec secunda pars testimonii *tibi dabo claves* etc. cum priore cohaereat. Cohaerere quidem manifestum est. Liquet id ex particula *et*, ex identitate loquentis Christi, et eius ad quem verba diriguntur: *tibi dabo* etc. ex identitate obiecti in quod potestas confertur, quod in priore parte est *Ecclesia*, in altera dicitur *regnum caelorum* quod est Ecclesia. Differunt tamen ratione diversae imaginis sub qua Ecclesia, Petrus et Christus repraesentantur. In priori enim parte Ecclesia exhibetur ut aedificium, Petrus ut eius fundamentum, Christus ut architectus. In altera vero Ecclesia repraesentatur ut regnum, Petrus ut princeps et caput ipsius, Christus ut supremus eiusdem rex, caput et Dominus. Cohaerent itaque hae duae partes continuatione sermonis ab eodem eidem facti de eadem re sub diversa tamen imagine, ita ut in altera parte disertius explicentur iura et functiones illius qui petra Ecclesiae est constitutus. Haec ex declaratione tradita totius testimonii satis constant.

XIII. Verum quaestio superest de subiecto cui dicta sint verba alterius partis, cui nempe claves datae sint, et data potestas ligandi

atque solvendi. Plures enim Protestantes contendunt verba quidem directa esse ad Petrum, sed quatenus Petrus omnes ex aequo Apostolos repraesentabat, ideoque claves ceteris Apostolis non secus ac Petro datas esse; nihil proinde speciale prae ceteris Apostolis Petro esse collatum. Idque probant tum quia Petrus omnium vice responderit, tum ex collatione Matth. XVIII, 18; tum quoque ex auctoritate Patrum.

Atqui verba haec Christi et *singulariter* dicta sunt Petro, et *singulare* aliquid ei promittunt. Sane ad unum Petrum ea verba referri evidens est ex toties repetito eodem semper subiecto in numero singulari (*Ego dico tibi; tu es Petrus, et tibi dabo, quodcumque ligaveris, quodcumque solveris*) in eodem contextu sermonis, coniunctis partibus particula copulativa *et*. Praeterea haec verba referuntur ad eum qui confessionem divinitatis Christi edidit: atqui unus Petrus, non omnium nomine, sed suo dixit: *Tu es Christus* etc. ut probavimus initio huius Theses: ergo. Et re quidem vera oportet ut idem sit subiectum quod est *Petra* Ecclesiae, et quod habet *claves Regni*, utraque enim imagine eadem re potestas significatur: atqui Petra Ecclesiae non est nisi Petrus, ut probavimus; ergo. Neque cogitare licet Christum ita Petro dedisse claves, ut ex quodam veluti consensu Ecclesiae, cui claves per se spectent, eas acceperit Petrus, qui proinde ex quadam delegatione Ecclesiae eas administret. Nam 1) huius consensus nullum heic indicium; nihilque est quod vel remotissime indicet claves, quas supremo suo iure Christus tenet, datas esse primum Ecclesiae. Imo 2) haec hypothesis directe excluditur a) ab antecedentibus quibus Petrus petra constituitur Ecclesiae aedificandae: atque b) ab ipsa Christi dignitate: cum enim quis potestatem in societatem accipit ab eo, qui eiusdem societatis supremus est Rex et Dominus nativo iure, non ex consensu subditorum; ille quoque intelligitur potestate potiri in societatem citra consensum subditorum, a quo valor actus supremi Domini nullo modo pendere potest. Cf. Proleg. §. XII.

Quod vero aliquid singulare promissum sit Petro, id est quod potissimum protestantes negant, ea praecipue freti ratione, quod eadem potestas ceteris Apostolis collata sit Matth. XVIII, 18; Ioan. XX, 21. seq. De testimonio Ioannis iam satis diximus, nullaque potest superesse difficultas: restat alterum Matthaei. Si ergo demonstraverimus verba Christi Matth. XVIII, 18. non esse parallela verbis Matth. XVI, 19. sive non eandem dignitatem et potestatem adserere ceteris Apostolis, quae Petro promissa est: ipsaque verba Matth. XVI, 19. excludere consortium alterius in dignitate et potestate Petri; manifestum erit his verbis Christi fuisse Petro promissam aliquam singularem dignitatem et potestatem.

XIV. Itaque 1) conferantur invicem ambo testimonia integra: Petro dicuntur haec tria: 1° *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*: 2° *tibi dabo claves regni caelorum*: 3° *quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis*. Apostolis vero Matth. XVIII, 18. hoc tertium tantummodo dicitur: Amen dico vobis: *quaecumque alligaveritis super terram erunt alligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo*. Scilicet dignitas fundamenti totius Ecclesiae est uni Petro collata; *claves regni* uni Petro datae; haec duo non sunt communia facta ceteris Apostolis: atqui id iam per se ostendit non eandem esse dignitatem Petri et ceterorum Apostolorum. Et sane per metaphoram traditionis *clavium Regni* significatur aliquid amplius quam per simplicem potestatem factam ligandi et solvendi: significatur nempe potestas ipsa ligandi et solvendi tanquam in fonte et principio, in eo qui claves habet, ita ut ceteri non nisi dependenter ab eo qui habet claves regni obtineant potestatem ligandi et solvendi. Qui enim claves habet regni ipse principium et fons est omnis potestatis in regno. Quare claves in Scripturis non nisi Christo et Petro eius vicario adseruntur. Hinc potestas ligandi et solvendi facta ei qui claves habet regni est potestas prorsus independens a quolibet membro regni: secus autem potestas ligandi et solvendi simpliciter facta iis quibus claves non sunt datae, qui dependentiam habent ab eo qui claves obtinet regni. Ex his autem patet non eandem esse dignitatem et potestatem collatam Apostolis Matth. XVIII, 18. et Petro XVI, 19.

Neque dicas Apostolis quoque datas fuisse claves eo ipso quod data est iis potestas ligandi et solvendi; ligant enim et solvunt potestate clavium. Nam duo distinguenda sunt. Etenim in conceptu clavium regni duo continentur, tum nempe potestas quaecumque ligandi et solvendi, tum *supremus gradus et independentia* huius potestatis: haec porro directe significantur, cum traduntur claves, significatur nimirum *potestas suprema et independens*: non significantur autem cum sola potestas etiam quaecumque ligandi et solvendi datur, nisi detur quoad omnes qui sunt in regno; quod quidem non factum est pro singulis Apostolis. Quare sub diverso respectu et concedi et negari debet datas esse claves ceteris Apostolis. Datae sunt eis claves, quia data est eis potestas quaecumque ligandi et solvendi quoad ceteros fideles, quae potestas continetur potestate clavium: non datae sunt eis claves; quia non data eis haec potestas suprema prorsus et independens. Cum ergo haec potestas suprema et independens per metaphoricam traditionem clavium Regni directe

repraesentetur, hinc Christus uni Petro claves se daturum promisit, quae deinceps, ut ait Optatus, essent ceteris communicandae, non quidem per identitatem, sed per participationem potestatis.

2) Si rursus conferantur ambo testimonia, manifestum est Christum secundo loco Matth. XVIII alloqui omnes Apostolos simul, inter quos est et Petrus; priore vero loco unum alloqui Petrum. Quare potestas promissa Apostolis est potestas a) data collegio Apostolorum; est etiam b) potestas collata singulis prout spectant ad eum coetum sed non in ceteros Apostolos, secus idem prae eodem esset subditus et superior quoad eadem: omnes enim ex aequo alloquitur Christus, et potestatem quoad omnia concedit: multoque minus est potestas collata in Petrum, cui iam claves Regni promissae sunt. « (Petro soli, ita quod nulli alii singulariter dixit: tibi dabo claves regni caelorum et quodcumque ligaveris etc. » Ioannes XXII in Constitutione *Licet* adversus Marsilium Patavinum et Ioannem de Ianduno 1327). Atqui id demonstrat potestatem Petri et *extensione* et *intensione* praestare potestati Apostolorum. *Extensione* tum *subditorum*, quia subditi Apostolorum quoad potestatem ligandi et solvendi sunt ceteri fideles: subditi Petri est universa Ecclesia, ideoque ipsi Apostoli qui membra sunt Ecclesiae: tum *rerum*, quod ex priore consequitur; causarum enim, quae inter Apostolos oriri possent, iudex supremus erat ipse Petrus. *Intensione*, ea enim potestas est intensione maior in regno, quae potest in omnes, et in quam nemo potest; est enim potestas suprema specie differens et excedens ceteras potestates: talis vero est potestas Petri. Ergo.

Quod si 3) verba a Christo dicta Petro per se considerentur, liquet rursus iis excludi quemlibet alium a consortio dignitatis et potestatis ei promissae. Etenim unus Petrus est fundamentum totius Ecclesiae, ad quem Petrum proinde etiam ceteri Apostoli se habent ut fundati in ipso, non ex aequo fundantes, unus Petrus habet claves totius Regni caelorum, cui idcirco quicumque ad regnum spectat, ideoque ceteri Apostoli subditi sunt; cum ergo potestas ligandi atque solvendi sit propria eius qui petra est Ecclesiae, eiusque claves habet; et respondeat dignitati *petrae et clavium*; quoniam in hac duplici dignitate Petrus parem non habet, neque parem habere potest in potestate ligandi et solvendi.

In id tandem 4) conspirat interpretatio ecclesiastica, qua docemur non solum verba: *tibi dabo claves* etc. dicta esse uni Petro, sed praeterea per ea singularem dignitatem et potestatem prae ceteris Apostolis ei fuisse promissam. Optatus cont. Parmen. L. VII: « Ecce, ut supra dictum est, ceteris (Apostolis) non agnoscentibus (Christum), solus agnovit (Matth. XVI, 16), ceteris non promittentibus (Matth.